



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 7. Verè conversi, etsi inferioris gradus, non tam facilè reincident quàm non verè conversi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

PECCATORIS. ISI

peccatum inclinatio, ac proinde facilior est & proclivior horum iterum à bono in malum mutatio. Propter quod incipientes in Ecclesia, dicebat S. Thomas, potissimum indigere custodibus, ne Diabolus & male tentationes eos invadant, & quasi imbecilles superent. Et huic coævus S. Bonaventura: tenera mentes, ait, & à peccati affectu nondum plenè detersa sæpè magis timore humano quàm divino à voragine peccati detinentur. Ideò talibus expedit superiorum magisterio subjici, per quos à periculo retrahantur, sicut parvuli à matre comminante ab aquæ merstone & luporum moribus defenduntur.

1. comm. in
cant. c. 3.
leg. 2.

Lib. de sepa-
lis Seraph.
cap. 1.

§. VII.

Verè conversi, etsi inferioris gradus, non tam facile reincident quàm non verè conversi.

E St tamen non modicum inter hos & tres supra positos circa relapsum discrimen. Hi enim verè conversi sunt, ac per hoc omnes mortiferos affectus à se excluderunt, ita scilicet, ut jam eis bona voluntas, hoc est juxta ^a Augustinum & ^b Bernardum, Dei charitas prædominetur, deindè absolutè quoque sollicitudinem suscipiunt, ut sic possint permanere: ad hanc autem pertinet, bonæ voluntati,

Serm. 1.

Pentecost.

a Lib. 1. de

grat. Christ.

cap. 21.

b Serm. 1.

contra Pentecost.

contrariæ concupiscentiæ pondere paulatim ac sensim flaccenti congruis remediis iterum excitandæ intendere, & peccati occasiones sibi præscindere. His autem remotis, non facile est hujusmodi citò ad mortale relabi. Si tamen in aliquo pro sua adhuc infirmitate præoccupati fuerint, non illico bonæ voluntatis affectum integrè exuunt, & toti se prævæ cupiditati addicunt; paulatim id fit, quò pravis ejus desideriis sæpiùs ac diutiùs consentiunt: quo repetito consensu illa roboratur & fit valentior, ac magis magisque bonæ voluntatis residuo animam dispoliat; atque ita sensim difficilior fit eis ad justitiam reditus. Cum verò primò lapsi sunt, prævæ quidem cupiditati succumbentes à Dei charitate recesserunt; non tamen (ut dictum est) omnem ejus affectum deposuerunt. Quò verò is adhuc major remanet, tantò minus longè sunt à regno Dei & sua justitia, ac per hoc eò quoque faciliùs eis est, Deo excitante & adjuvante cum nondum malo usu prævæ cupiditas roborata est, atque animo irradicata, rursus ad justitiam transire, atque ut oportet resipiscere. Tum verò ad cautionem eorum pertinet, sollicitè ne isto iterum modo superentur intendere.

His

His ambigi non potest, & facilius & frequentius plerumque relapsum vitari, præ iis quos supra dedi nondum debite conversos. Vivit enim adhuc in superioribus illis peccati voluntas vel in toto uti in primis, vel sui majori parte uti in secundis; ac per hoc adhuc servi permanent ejus desiderii obsequendis & saturandis: aut si, ut tertii, indè recedere optent; optant tantum, nondum quantum opus est volunt, quia grave adhuc eis ac nimium est, ad id consequendum sollicitum esse, ac debitum laborem subire. Benè horum semitas involutas dicit Gregorius, *ut pravis, inquit, concupiscentiis dediti, aut bona nulla appetant aut appetentes infirmo desiderio, ad hæc nequaquam mentis liberos gressus tendant. Recta enim aut non incipiunt, aut in ipso fracti itinere ad hæc minimè pertingunt. Vnde fit plerumque ut ad morem suum lassati redeant, seseque ab intentione animi in carnis voluptatibus sternant, sola quæ transeunt cogitent, nulla quæ secum permaneant, curent. Primorum tamen communiter & frequentior & facilior est lapsus, quòd hi pleniùs secundis & tertiis cupiditatum suarum servituti sese manciparunt.*

*Lib. 7. mor.
cap. 17.*